



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Specvlvm Iuuentvtis, Sive Insigniores Pveritiæ Atqve Adolescentiæ Sanctorvm

Bosendorf, Hermann

Monasterii VWestphalorvm, 1615

Iustus & Pastor pueri mart. 6. Aug.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42900

MARTYRIVM SS. PVERORVM ET
fratrum Iusti & Pastoris, 6. Augusti,

Sur. Tom. 7.

Quo tempore crudelissimus Datianus furoris sui rabie in Christianos accensus, vniuersum perlustrabat orbem, vt quoscunq; inuenisset pietatis cultores, varijs tormentis enecaret, contigit eum ad Cōplutensem transfundi gratia deuenire ciuitatem. Cuius incolæ cum immane hominis desiderium intellexissent, duo infantes Iustus & Pastor, relictis scholæ tabulis, quibus tenera eorum ætas imbuebatur, tanquam longa exercitatione probati Christi discipuli, ad spectaculum proprii martyrij alacres cucurrerunt. Cumq; sollicitè cernerent, & intento perciperent animo, qd dementis Datiani inquireret furor, nūciatum est Tyranno duos istos Christianis parentibus ortos, propterea ad id spectaculi cōuenisse, vt si Christianorum fieret inquisitio, ipsi spōte se offerrent puniendos. Quo audito Tyrannus indignatione cōmotus vtrūq; cōprehendi, & flagris cōscindi acerrimè iubet. Comprehensi igitur sancti martyres, priusquam ad supplicium traherentur, sese mutuo cēlitus edocti, leti confortabant atq; adhortabantur. Vt spreto hoc breuis vitę sęculo ad Angelorum cōsortia alacres properarent. Erat inter eos mira verborum cōcertatio, & vultus alacritas, quibus se inuicem ad martyrij palmam prouocabant. Timebat Iustus, ne Pastor ætate iunior suppliciorum

*Fortitudo
animi.*

ciorum atrocitati succumberet, rursus Pastor, ne Iustus promissis vel minis Tyranni vince- retur, vehementer formidabat. Interea vero dum alter alteri mutuis cohortationibus ani- mum adderet, carnifices visa puerorum con- stantia & alacritate, cuncta Datiano nunciarunt. Qui tam admiranda puerorum virtute stupe- factus, veritus ne ex eorum certamine aliquam ignominiam notam maiestati suae inureret, qua- si per contemptum, quod suo conspectu in- digni essent, capitis eos damnauit. Cumque ac- cepta sententia procul ab vrbe glorioso sine certamen peregissent, & Datianus celeri pro- tectione ad alia loca contenderet, illico Chri- stiani incolae sacra eorum corpora honorifice sepelierunt, & constructa basilica singulis mar- tyribus altare dedicarunt.

EXEMPLVM S. ALBERTI DE MONTE

Drepano Carmelita, 7. Augusti.

Sur. Tom. 4.

Albertum apud Siculos in castro montis Drepani, patre Benedicto ex nobilissi- ma Adalbatibarum familia, matre Iohanna pari nobilitate femina, ortum, parces post longam sterilitatem, voto à B. Virgine Deipara impe- trarunt. Hic ubi per aetatem disciplinis esse ma- turus cepisset, mox liberalium artium studijs admotus preclare puer indolis, vberi Spiritus sancti gratia exornabatur, & iam literis bellè *Morum honestas.* eruditus, optimisque ex cultus moribus, à ciuib⁹

Z 4 iuxta